

Aduertencias para

nis. Cle. vñica, de Consan. & affinit, quos
fratres absoluant tam in foro interiori, quam
exteriori. Quatum vero ad ceteros Christi
colas in foro interiori, quando factum est se-
cretum, eos absoluant à sententiis Excom-
municationis, siue à iure, siue ab homine la-
tis. Si autem factum est notorium, remittat
eos ad Episcopum, pro absolutione in foro
exteriori, in locis in quibus est Episcopus.
Sed etiam bonum erit, quandoq; mittere ad
Episcopum Indos pro absolutione excommu-
nicationum, quas notoriē, & palam incurre-
rint: quando ex hoc presumetur, q̄ ceteri tū
mebunt talia perpetrare delicta, quæ sub pe-
na Excommunicationis iuris, aut hominis
prohibentur. Nempe ut dicitur Proverb.
19. Pestilente flagellato, stultus sapientior e-
rit, & Proverbiorum. 21. Multato pestilen-
te, sapientior erit parvulus. Quoniam ut di-
cit Ysai. 28. Tantummodo sola vexatio in-
tellectum dabit auditui. Hoc autem cognos-
cetur esse salubre, & conueniens, quando vi-
derint fratres, q̄ facilitas venie [puta quan-
do à fratribus leniter absoluuntur, & puni-
untur] incentium prebet delinquendi, se-
cundum B. Ambro. 23. q. 4. Est iniusta.

Ex